



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

LXXVIII. Quod gratia Dei non solum remissionem tribuit peccatorum, sed etiam praestat adiutorium ne peccetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

## LXXVII.

Item placuit, vt quicunque parvulos recentes ab  
uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in re-  
missionem quidem peccatorum eos baptizari, sed  
nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod la-  
uacro regenerationis expietur: unde fit consequens,  
vt in eis forma baptismatis in remissionem pecca-  
torum non vere sed false intelligatur, anathema  
sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait  
Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmo-  
dum ecclesia catholica ubique diffusa semper intel-  
lexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam par-  
vuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc com-  
mittere potuerunt, ideo in peccatorum remissio-  
nen veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione  
mundetur, quod generatione contraxerunt.

Quidam peruetustus codex hoc loco huiusmodi caput insertum  
habebat: Item placuit, vt si quis dicit ideo dixisse Dominum: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, vt intelligatur, quia in regno  
caelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vi-  
uant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo  
in regno caelorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, ana-  
thema sit. Nam cum Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum*: quis catholicus dubitet  
participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi?  
Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret.

## LXXVIII.

Item placuit, vt quicunque dixerit gratiam Dei, (qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum) ad solam remissionem peccatorum vale-  
re, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiuto-  
rium, vt non committantur, anathema sit.

De confess.  
dist. 4.  
Placuit, vt  
quicunque  
parvulos.  
& in Con-  
cilio Mile-  
uitano II.  
cap. 2.  
Cod. Can.  
cap. 110.